



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXI. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Episcopvm Hydrvntinvm.  
Visitationem Brundusii & Gallipolis iniungit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

rum actione suscepimus: sed tamen plus mentis vestra affectu, quam rerum copia delectamur.

## EPISTOLA XX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM DIACONVM.

Præcipit adiutorium impendere Ioanni episcopo.

*Gregorius Cypriano diacono.*
Ioan. disc.  
lib. 3. c. 20.

**S**IC VIT dilectio tua studiose laborauit pro persona fratris & coepiscopi nostri Ioannis, ut in Syracusana ecclesia auctore Deo debuisset ordinari, ita nunc necesse est, ut per dilectionis tuæ studia ei quoque regiminis solatia ministrentur. Quemdam enim presbyterum proprium habuisse se perhibet, qui tamen a fratre & coepiscopo nostro Leone in Catanensi ecclesia dicitur ordinatus: & quia in nouam ecclesiam vadit, & suos illic proprios homines habere necesse est, vt cum causarum tumultibus premitur, in secreto suo inueniat vbi requiescat, prædicto fratri, & coepiscopo nostro Leoni blonde & leniter persuadere debes, vt ei præfatum presbyterum cedere debeat, ne quem tam benignus ad ordinandum cessit, ordinatum destituerre fortasse videatur. Sed sicut idem frater & coepiscopus noster Ioannes, quantum ego in eius mente didici, eius se esse archidiaconum, nec ob episcopatum susceptum obliuiscitur, ita eum saepatus frater & coepiscopus noster Leo suum proprium debet attendere, & non solum de unius persona presbyteri, sed in quacumque re eius solatio indiguerit, sua ei ministrare auxilia.

Mense Novembri, indictione decimaquarta.

## EPISTOLA XXI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM EPISCOPVM HYDRVNTINVM.

Visitationem Brundusii &amp; Gallipolis iniungit.

*Gregorius Petro episcopo Hydruntino.*

**P**ASTORALIS nos cura costringit ecclesiis sacerdotis moderamine destitutis solicita consideratione prospicere, ne proprio decadente rectore, contrarium, quod absit,

aliquid patrum regulis oriatur. Quia igitur ecclesias Brundusii, Lippias, atque Gallipoli, obeuntibus earum pontificibus, omnino destitutas agnouimus; idcirco fraternitati tuae visitationis earum operam duximus iniungendam. Quam ita te conuenit exhibere, ut nihil de prouectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est in patrimonio earum, a quoquam patiaris imminui. Et ideo fraternitas tua ad prædictas ecclesias ire properabit, & assiduis adhortationibus cleru plebemque earumdem ecclesiarum admonere festinet, ut remoto studio, uno eodemque consensu tales sibi præficiendos expectant sacerdotes, qui & tanto ministerio digni valeant repeiri, & a veneradis Canonibus nullatenus respuantur. Qui dum fuerint postulati, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuae testimonio literarum, ad nos veniant consecrandi; proutisurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet conuersationis seu meriti laicæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras. Monasteria autem, si qua sunt in eorum parochia constituta, sub tua cura dispositioneque, quousque illic fuerit proprius episcopus ordinatus, esse concedimus, ut solicitudinis tuae vigilantia proposito suo congrua, Deo adiuuante, actione respondeant.

*Mense Ianuario, indictione decimaquarta.*

EPISTOLA XXII.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM EPISCOPVM ALERIENSEM.

De baptisterio faciendo in possessione Cellascupias.

*Gregorius Petro episcopo Aleriensi de Corsica.*

QVONIAM in insula Corsica in loco Nigeuno, in possessione quæ Cellascupias appellatur, iuris sanctæ Romanæ cui Deo adiutore deseruimus ecclesiæ, basilicæ cum baptisterio in honorem beati apostolorum principis Petri, atque Laurentii martyris, pro lucrandis animabus fundari præcipimus: idcirco fraternitatem tuam his hortamur affatibus, quatenus ad prædictum locum debeat incunctor accedere: & venerandæ solennia dedicationis impendens, prædictam ecclesiam, & baptisterium solemniter

*Concil. Tom. 13.*

Ppp ij